

XV. *Inscriptio Tarraconensis : Cum Commentario Guil. Musgrave, M. D. Coll. Med. et Societ. Reg. Lond. Socij.*

**E**X Inscriptionibus *Tarracone* inventis, quas suo tempore *multas* esse tradidit *Ant. Augustinus* (1), una *Britanniam* nuper, a quodam mihi noto et familiari, Cohortis *Anglicæ* ibi militantis a *Sacris*, advecta, mecum communicata est. Jam nunc ante oculos Marmor est, album, uncias decem cum semisse longum, octo et dimidiam latum; in quo *Inscriptio*, Literis hic, dimidio minoribus, ære *Cyprio* incisus, sic integre legenda est (2).

*Dijis Manibus. Camilius Saturnalis Camiliæ Natulæ, Patronæ merentissima fecit.*

*Camilius Saturnalis*, olim servus, at jam Libertus, utpote a *Camilia Natula* manumissus, ea de causa Patronæ, a qua cum Libertate Nomen accepit, grate hoc monumentum posuit.

Plurima sunt hujusmodi passim monumenta; quod ex *Grutero*, *Reinesio*, alijsq; patet. Quis autem hic *Saturnalis*, quæve hæc *Natula* fuerit, æque mihi ignotum est, ac quod ignotissimum. Habet nihilominus *Inscriptio* non pauca, quæ notatu digna videantur.

Prima tantum A lineam habet transversam; reliquæ omnes *Perpendiculararem*, cruribus interpositam, hunc fere in modum A; quod, Imperio ad occasum vergente, primum in usu fuisse judico. Utut illa res sit, hanc hujusce

(1) *Anton. Augustini* Antiquitatum Dialog. IX. (2) Vide Tab. IV.

jusee Literæ formam, alibi quam in hoc Lapide, nondum me vidisse memini. Miror eam omitti et in *Bouterovij* et in *Doctrissimi Bernardi* Alphabetis. Raram igitur existimo.

E ter quater hic pro Æ: qua de re vide *Commentarium* in *Julij Vitalis* (3) *Epitaphium*. In omni hujus *Inscriptionis* E, lineæ tres parallelæ, a *perpendiculari* incipientes, sunt et perbreves, et inter se æquales.

Linea 4ta. In utraq; Consonante L L, *Lincola*, cui *perpendicularis* insistit, est brevissima: hinc videtur *Rhodiis* (4), ad *Scribonium Largum*, afferuisse, [*Veteres figura parum diversa Literas I & L finxisse, notissimum est.*]

PAT-RONE. De syllabæ mediæ iniqua divisione, non est et verba faciamus; cum [*hujusmodi Errorum*, (ut ait *Dausquius* (5), *segetem peramplam habent veteres Inscriptiones.*)]

Eadem fere *Patronæ*, atq; *Patroni* ratio. *Impp. Diocletiano et Maximo A. A.* sancitum est, [*neq; Patronæ tue obsequijs refragari te fas est:*] quam ad *Legem Gotofredus* [*ut Patrono ita Patronæ debetur obsequium*] (6).

MERENTISSINE pro MERENTISSIMÆ. M in N *μῆρασιν* (7) *Prisciani* *Sententia* M mutatur in N; potissime C. D. T. vel Q. sequentibus: (ut in *Anceps*, *Eundem*, *Identidem*, *Tanquam*.) Sed, ut quod verum esse suspicior, agnoscam, *Operarij* hoc erratum esse judico, *Literam N*, nuperrime *sculpram*, oscitanter *iterantis*.

Nomen hoc est *Participiale*, maxime in *Lapidibus* usurpatum. Sic *Gruterus* (8).

REGIVS ARISTIVS PRIMITIVVS ARISTIÆ FILE-  
TINI PATRONÆ BENEMERENTISSIMÆ ET RE-  
GIVS HERMES VXORI MERENTISSIMÆ. P.

Punctorum

(3) Pag. 138. (4) Pag. 307. (5) *Orthographicæ* Vol. I. pag. 157.  
(6) *Cod. Lib. VI. Tit. VI. Leg. 8.* (7) *Lib. I. Ed. Putschian.* (8) Pag. 932. n. 7.

Punctorum hujus Inscriptionis incerta ratio est; alii vocabulis integris subjiciuntur, ut in Linea 4ta, alterum gladioli, alterum H dimidiatæ formam habens, sic I: tertium triangulare, in fine lineæ tertæ, post syllabam C A; sed omnino nimium.

De Folijs, quæ in Lapidibus cum Epitaphijs incidi solent, olim a me (9) post alios dictum. Hic autem observatu dignum est, Herbarum folia, quæ cum Epitaphijs ut Humanæ imbecillitatis indicia adhibentur, non ea de causa hic adhiberi: hic, inquam, ubi nihil nisi animum beneficijs obligatum, & lætitia plenum, ostendit Lapis. Idem mea sententia dicendum de folijs, quæ in (10) *Longinorum* Altari, quæq; in Altari quod *M. Aurelio* (11) *Antonino* dicatum fuit, incidebantur. Hæc igitur mera ornamenta cælatoris ingenio deberi cogitandum est.

*Camilij* nomen a Patrona *Camilia Saturnalem* accepisse, dixi; quod *Romanorum* more factum est. Hac de re (12) *Lipsius* [*Idem* (servi) manumissi, in nomina *Dominorum* veniebant, cognomine excepto: loco cognominis vetus suum nomen retinebant, ut *Marcus Tullius, Tyra: Ciceronis Libertus*]

[*Libertas*, affirmante *Paulo J. C.* (13) *inestimabilis res est.*] [*Nihil* (14) *ea gratis servo præstare potest.*] Patroni, qui servos manumiserunt, et ex justa servitute eos solverunt, quasi *Patres*, qui a morte in vitam illos revocarunt, (15) appellabantur. *Grandi hoc Beneficio* (sic ab (16) *Ulpiano* dictum est) a Patrona decoratus *Saturnalis*, grati erga eam animi monumentum fecit, et marmore, omne ævum duraturo, merentissimæ ejus laudes celebravit.

Tanti fuit, apud *Romanos*, *Libertas!*

XVI. A

(9) Comment. in *Julij Vitalis* Epitaphium, pag. 187. (10) *V. Camdeni Britanniam* Anglice, pag. 570, a *Cl. Gibsono* editam. (11) *V. eandem*, pag. 602. Iterumq; pag. 852. (12) *V. Justii Lipsij* Tractatum peculiarem, [*De Nominibus veterum Romanorum*] Cap. II. (13) *D. de diversis Regulis Juris*. L. 106. (14) *D. de Fideicom. Libert. Leg.* 39. (15) *Lexicon Juridicum Joh. Calvinii*; voce *Liberti*. (16) *D. de Bonis Libertorum. Leg.* 1.

DOM  
CAMILIVS  
SATVRNALIS  
MILIE NATVLE PAT  
RONEMERENTISSINE  
FECIT

Unc: 8 1/4.

Unc: 8 1/4

Unc: 10 1/2.



Inscriptionem hanc, pro Libertate factam,  
Marmoreq<sub>3</sub> incisam, suis sumptibus, Areetiam  
incidi voluit GEO: SPEKE, nobilis Belga.